



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 97. Galliarum Regis interdictum de pecuniis Romam mittendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Regem cum Turcis in Christiani nomi-  
nis perniciem foedus inisse spargebant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Verum Galli, ut hasce criminatio-  
nes diluerent, Cæsari Carolo V. hæc  
objectabant: „Cæsar, cum Aquitania  
„ tumultibus, & seditionibus arderet,  
„ misso Burano Comite cum Anglis e-  
„ git, ut Burdigalensium tumultuan-  
„ tium tutelam fusciperent, & jus,  
„ quod in Aquitania armis amiserant,  
„ jure recuperarent: insuper pace ante  
„ biennium cum Anglis facta Santan-  
„ dreano e Britannia redeunti infidias  
„ tetendit, & quasdam e Gallicis na-  
„ vibus per Belgas interceptit, necnon  
„ Helvetios, quo minus cum Rege fœ-  
„ dus renovarent, sollicitavit, postre-  
„ mo Cæsar Carolo Marillaco Veneto-  
„ rum Episcopo apud Regem Oratori  
„ injuriose comminatus est, fore, ut si  
„ res ad arma deveniant, Cæsar Regem  
„ ad infimam conditionem redigeret.”

§. XCVII.

*Gallarum Regis interdictum de pe-  
cuniis Romam mittendis.*

Postmodum summus Pontifex, cum pro-  
fana in Galliarum Regem arma con-  
vertisset, simul etiam injuriam sibi ab eo  
illatam spirituali gladio vindicare statuit;  
quapropter Regem anathema incurrisse  
decla-



Sæcul XVI  
A.C. 1551.

declarat, simulque totum Regnum interdicto subjici comminatus, eandemque excommunicationis pœnam in omnes, & singulos intentat, qui Octavium Ducem protegere, defendere, vel ei quovis pacto, vel auro, vel armis, vel consilio opem ferre præsumperint (\*). Ast vicissim Jacobus Amiotus adversus Tridentinam Synodum, quæ tum convocabatur, reclamare jubebatur, quinimo ipsemet Galliarum Rex gravi constituta pœna prohibebat, ne qua pecunia a suis subditis sub quocunque obtentu ex Francia Romam deferretur, vel mitteretur, nec pro beneficiis obtinendis ad Sedem Apostolicam recurreretur, simulque præcepit Rex, ut in omnibus negotiis Ecclesiasticis Ordinarii locorum tanquam ludices implorarentur. (\*\*). Ut vero Galliarum Rex ostenderet, quod simul cum Pontifice dissidia fovere posset, quin tamen quicquam de sua erga Religionem studio remitteret, hinc se-

---

(\*) Notandum est, quod Sleidanus, quem Continuator unicum allegat, de hoc anathemate aliisque pœnis nullam faciat mentionem.

(\*\*) Cum citatus Sleidanus duntaxat interdictam pecuniarum transmissionem memoret, Continuator fecundo suo ingenio veluti amplioem Pontifices vexandi normam præscripsisse videtur.



severiffimum edictum die vigesima quin- Sæcul. XVI.  
 ta Junii Castro-Briantii datum promul- A.C. 1551.  
 gabat, quo in omnes de spuria reforma-  
 tione suspectos per universum Regnum  
 inquiri præcepit.

§. XCVIII.

*Bononiensis ditio a Strozziis, &  
 Horatio devastata.*

Sub idem tempus Strozzius, & Hora-  
 tius Farnesius, cum Cæsareos in æ-  
 quo campo potentia longe superiores  
 cernerent, nec illos aggredi auderent,  
 unacum copiis suis in Bononiensem a-  
 grum, necnon cum alio agmine in Pon-  
 tificis ditiones licentiosius sese effunde-  
 bant, ac salvis duntaxat vineis cetera  
 omnia ferro, flammaque devastabant,  
 tamque inhumano furore cuncta depu-  
 pulabantur, ut Papa subditorum lacri-  
 mis, atque ejulatibus commotus suum  
 exercitum nulla mora in miserorum o-  
 pem accurrere juberet, simulque suppe-  
 tias a magno Etruriæ Duce peteret.  
 Hic quoque Bononiam quantocius una-  
 cum mille armatis ære suo alendis Otto-  
 nem Montacutum emisit, ejusque ad-  
 ventu effecit, ut ab infestis incursioni-  
 bus aliquamdiu cessaretur, & Strozzius  
 opima præda onustus ad S. Antonii op-  
 pidum, quod haud procul a Mirandula  
 abest,